Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

iam non bibam de genimine
vitis usque in diem illum cum illud
bibam novum in regno dei. Et
ympno dicto exierunt in montem
oliveti. Et ait eis ihesus. Omnes
scandalizabimini in me in ista
nocte, quia scriptum est. Percutiam
pastorem et dispergentur oves
gregis. Sed postquam surrexero
precedam vos in galyleam.
Petrus autem ait ei. Et si omnes
scandalizati fuerint in te sed non
ego. Et ait illi ihesus. Amen dico
tibi, quia tu hodie in nocte hac
priusquam bis gallus vocem de
derit, ter me es negaturus. At
ille amplius loquebatur. Et si
oportuerit me simul commori
tibi, non te negabo. Similiter autem
et omnes dicebant. Et veniunt in
predium cui nomen gethsemani.
Et ait discipulis suis. Sedete
hic donec orem. Et assumpsit
petrum et iacobum et iohannem secum
et cepit pavere et tedere. Et
ait illis. Tristis est anima mea
usque ad mortem. Sustinete hic
et vigilate mecum. Et cum proces
sisset paululum, procidit super
terram et orabat ut si fieri pos
set, transiret ab eo hora. Et dixit.
Abba pater, omnia tibi possibilia
sunt, transfer calicem hunc a me.
Sed non quod ego volo sed quod tu.
Et venit et invenit eos dormi
entes. Et ait petro. Symon
dormis. Non potuisti una
hora vigilare mecum. Vigila
te et orate ut non intretis in tem
tacionem. Spiritus quidem promptus
est, caro autem infirma. Et iterum
abiens oravit eundem sermonem
dicens. Et reversus denuo in
venit eos dormientes. Erant enim
oculi eorum gravati, et ignora
bant quid responderent ei. Et venit
tercio, et ait illis. Dormite iam
et requiescite. Sufficit venit
hora, ecce tradetur filius hominis in
manus peccatorum. Surgite eamus.
Ecce qui me tradet prope est.
Et adhuc eo loquente venit
iudas scarioth unus de duo
decim, et cum illo turba multa
cum gladiis et lignis missi a
summis sacerdotibus et scribis
et a senioribus. Dederat autem
traditor eis signum dicens. Quem
cumque osculatus fuero ipse est
tenete eum et ducite caute. Et cum
venisset statim accedens ad eum
ait. Ave rabbi. Et osculatus
est eum. At illi manus iniece
runt in eum, et tenuerunt eum. Unus
autem de circumstantibus educens
gladium percussit servum summi
sacerdotis, et amputavit illi
auriculam. Et respondens ihesus ait
illis. Tamquam ad latronem ex
istis cum gladiis et fustibus et